

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiæ Lipsiensis Sacra Paschalia Ritu Solenni Celebranda Intimat

Fleischer, Elisabeth Katharina

Lipsiæ, [1709?]

VD18 90816803

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200553)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

32.
33

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
SACRA
PASCHALIA
RITU SOLENNI CELEBRANDA
INTIMAT.

C. 33

RECTOR
ACADEMIE LIPSIIENSIS
SACRA
PASCHALIA
RITH SOLI NII GELBRAND



Ructum RESURRECTIONIS CHRISTI, cuius festivitatem nunc celebramus, post nostri justificationem (a), palmarium esse *Vitam Christianorum Spiritualem*, plurimis in locis confirmant Sacrae Literae. Ita enim PAULUS Apostolus (b): *CHRISTUS* (ex mortuis resurgens), *mortis abolita potestate, in lucem protraxit vitam incorruptibilem* (ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν) per Evangelium. Et PETRUS (γ):

Deus & Pater Domini nostri *JESU CHRISTI*, secundum misericordiam suam magnam, regeneravit nos in *spem vivam* (εἰς ἐλπίδα ζωῆς) per Resurrectionem *Jesu Christi ex mortuis*. Hinc dicuntur fideles non modo cum Christo resuscitati esse per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis (δ); sed & resurrexisse cum Christo, nempe spiritualiter (e); & coalescere cum eo, resurrectionis assimilatione: ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & illi in nova vita ambulent (z). Hæc est vis illa Resurrectionis Christi, de qua iterum PAULUS: Ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex fide est Christi *Jesu*: ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus (h). Ipse enim ex terra prodiens, non factus modo est, uti primus Adam, *Anima viva*, sed *Spiritus vivificus* (i). Vitam non sibi solum accepit, sed & suis: neque modo, ut cum Patre viveret in coelis, sed & per Spiritum in fidelibus (j). Sicuti animales spiritus e cerebro per nervos in totum corpus suum dispersiti vitam motumque extremis etiam membris communicant; Pari ratione Spiritus vitæ, qui in Christo, ut capite ac fonte est, arcanis meatibus ad singula mystici corporis membra defluit, novæ in iis, quæque Christo digna sit, vitæ auctor. Nam uti fideles *membra corporis ejus* (k); ita & unus cum eo spiritus sunt (l): ipseque *eorum vita est* (m). Si quis autem cum Christo vivere

a 2

velit,

(a) Rom. V, 25. (b) 1. Tim. I, 10. (γ) 1. Epist. I, 3. (δ) Col. II, 12. (e) Col. III, 1. (z) Rom. II, 4. 5. (h) Phil. III, 10. (i) 1. Cor. XV, 45. (j) Gal. II, 20. (k) Eph. V, 30. V(λ) 1. Cor. VI, 17. (m) Col. III, 4.

Autore D. h. Oleario p. t. Dic.

velit, eum prius cum Christo mori oportet, juxta illud ΑΡΘΤΟΛΙ (γ): Si mortui sumus cum Christo, etiam cum ipso vivemus. Si enim complantati (δ) facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus (ε). Habes hic nexum καὶ νῶτα nostrae cum morte ac resurrectione Christi. Nempe sumus infiti Christo similitudine mortis ejus, dum vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, & ultra non serviamus peccato (ς). Ergo etiam in resurrectione cum eo excitati sumus ad novam vitam, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos ἐν καὶ νῶτα ζωῆς ambulemus (ζ). Antiquis temporibus veri Christiani in serio abnegationis suimet-ipsorum exercitio hanc mortem cum Christo, per illam spem vivam sibi facilem ac suavem reddiderunt, ut semper ad novam respexerint vitam, tam internis quam externis passionibus obnoxii. Victoria terrestres, scribit CHRYSOSTOMUS (η): prorsus differunt a celestibus. In pugna Christi vincimus per mortem, & per casum resurgimus, & per interitum primo evadimus victores. Hostis nobis, dum obest, multum prodest, & media in morte vita in lucem prodit. Ita profundissimam mortem per fidem JESU pro vera aestimabant vita, ut hoc rationi ac naturae corruptae stolidum & nihil esse videatur. Inde est, quod CAESARIUS ARELATENSIS dicit (θ): Non te fallat numerus dierum, quos hic, relicto corporaliter seculo, consumpsisti. Illum tantum vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo desideriis restitisti, quem sine ulla regule transgressione duxisti: quem non malitia, non invidia, non superbia contaminavit: quem non mendacii, non perjurii, culpa respersit: qui puritatis & sanctae meditationis habuit lucem: quem non conversatio tenebrosa mutavit in noctem. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cujus lucrum venit ad animam tuam. Huc pertinet illud DIADOCHI Episcopi Photices (ι): Si quis adhuc vivens mori queat, per labores istos totus deinceps domus Spiritus Sancti sit. Hic enim, priusquam moriatur, surrexit, qualis Paulus, & quicumque perfecte cum peccato certant & certant. Ad hujusmodi mortem veram & constantem necessario sequitur nova hominis in Deo vita. Bene ex recentioribus Scriptoris JOANNES A CRUCE (κ): Vita spiritualis tantum in mortificatione vitiorum & pravorum concupiscentiarum concipitur. Anima enim prius recte vivere non potest, quam vetus Adam in ea moriatur. In vita vero nova, quando perfecte cum Deo unitur, vires ac operationes ejus sunt vere divinae. Et quando suas operationes, per unionem cum Deo, in Deo habet, tunc vivit in vita Dei, & mors ejus in vitam Christi

(γ) Rom. VI, 8. Conf. 2. Tim. II, 15. (δ) Rom. VI, 5. (ς) Ib. v. 5, 6. (ζ) Ib. v. 4. (η) Homil. XXXI. de Natali Innocentium. Tom. II. Opp. pag. 353. (θ) Homil. XXXI. Tom. HX. Biblioth. Patrum maximae, edit. Lugdunens. f. 850. (ι) de Perfectione Spiritualis. c. LXXXII. Tom. V. ejusd. Biblioth. f. 897. (κ) Elamma Amoris. p. 293.

Christi mutata est. Hæc vita quæ in re consistat, & fructus resurrectionis spiritalis esse cognoscatur, jam porro ex Veterum monumentis deducemus. Ita vero CHRYSOSTOMUS (φ: Apostolus resurrectionem, quæ futura est (in corporibus nostris) ob oculos habens, aliam a nobis resurrectionem (animæ sive internam) postulat: nempe novum vitæ præsentis genus atque institutum, a morum immutatione cæptum. Nam ubi scorator fit castus: ubi avarus misericors: ubi asper mansuetus: & hic quoque existit resurrectio, quæ tanquam illius alterius præmium est. Sed quo modo resurrectio? nempe si, peccato quidem mortificato, justitia tandem exurgat: & vitæ pristina deleta, nova hæc & angelica regnet. Idem cura Chrysostomo sentit ISIDORUS PELUSIOTA (x), cum ait: Anima in peccatis mortua resurrectio inde quidem perficitur, cum ad vitam, justitiæ operibus, (illa) renovatur, sive nova creatura formatur. Neque hæc renovatio est opus naturæ, sed, ut recte scribit CYRILLUS ALEXANDRINUS (ψ), eam per Christum sortiti sunt, qui scilicet ab eo reformati ad sanctificationem in Spiritum, peccati fores effugiunt ac transiliunt. Hic est, qui ab omnibus liberat sordibus, & ad conjunctionem cum Deo per sanctificationem reducit, & adoptionis filiorum ornamentis coronat, heredesque regni cælorum nuncupat. Has & hujus generis expressiones alias de morte & vitæ spirituali in Christo Jesu a mortuis resuscitato, omni voluntate suscipiemus, ac intimius in hoc mysterium penetrabimus, si rei ipsius desiderio sincero teneamur, cum alias locutiones Scripturæ de hoc negotio carnalibus & immorigeris sint obscuræ ac valde tædiosæ. Ita cum Sacræ Litteræ de novo homine fermocinantur, nihil aliud intendunt quam virtutem in se semper vivam, quæ per totam hominis vitam in sanctis operibus sese exercere debeat. Novus enim homo, inquit ATHANASIUS (ω), est sancta & virtuosa conversatio in Christo Jesu. Et, creatura nova, CHRYSOSTOMUS scribit (α), est deductio virtutis ad essentiam (ἐκ τῆς ἀρετῆς εἰς τὴν οὐσίαν), ut quæ ex nihilo ad hoc, ut esset, sit deducta. Sed hæc omnia in Christo fiunt, & per Christum solum, prout de hac veritate egregie testatur PASCASIUS RATBERTUS (ρ): Cum nihil aliud in corde aut in ore gestamus, sed totum, quod intra cor nostrum fovemus, aut ipse (CHRISTUS), aut ex ipso est: & quod ore proferimus, de ipso, & ad ipsum est. Sic quippe interior homo vivificatur, pascitur; sicque animatus continuatim renovatur. Vivificatur vero quotidie in eo, in quo est, & qui in eo est, enutritur: atque per fidem intus forisque

(φ) Homil. X. ad Roman. VI, 4. Tom. III. Opp. ed. t. Commel. f. 105. (x) Lib. V. Epist. CLXXIX. edit. Paris. f. 608. (ψ) Comment. in Es. cap. LIV. Lib. V. edit. Paris. Lat. f. 317-360. (ω) in Parab. Evang. Tom. II. Opp. p. 419. (α) Homil. XIII in Epist. ad Ephes. (ρ) Lib. IV. in Lamentat. Jerem. Tom. XIV. Bibl. magn. Lugdun. f. 821.

Christum amplectimur & profitemur. Et sicut flatus iste aëreus ex eo habet, quod capitur, ad quem respirat: rursus exterior homo vivificatur ut adspiret; ita & noster homo interior necesse habet per fidem, Spiritum Deum intus corde susceptum habere, quatenus ab eo, atque per eum, & in ipso possit vivere; vivendo vero votis omnibus ad eum respirare, atque sua quaeque intima in eum, & coram eo effundere. Istud igitur praecipue hic notandum, quod omnis illa novae vitae gratia in solo Christo, & virtute resurrectionis ejus sit quaerenda, quando etiam sponte cum ipso morimur, *σύνφθοι γινόμενοι τῷ ὁμιώματι τῆ θανάτου αὐτοῦ* (γ), ut ipse tanquam verbum vitae naturam nostram, per mortem, in vitam suam deducere queat. Sic enim, & non aliter, vita ejus fit nostra vita, quando primum cum ipso nos consepeliri patimur in mortem ejus (δ). In eo semper fideles omnium temporum virtutem resurrectionis Christi collocarunt, quando resurrectionem animae cum Christo dicto modo semper descripserunt. Egregie prorsus ISAACUS SYRUS, Presbyter Antioch. (ε): Gratia (& virtus resurrectionis Christi), quae communis est inter omnes, traducitur (per Spiritum sapientiae, & revelationis, & cognitionis Dei) ad animam, ut pariat divinam (in nobis Christi) formam secreto, ad futuri seculi claritatem: cumque tempus partus advenit, statim moveri mens incipit in quibusdam, quae inde sunt, sicut spiramen, quo attrahitur infans intra membra (matris) in quibus nutritur. Magnum adeo & profundum mysterium variis porro modis a Veteribus declaratur, & ad impletionem in vita quotidiana traducitur, ut ex iis, quae sequentur, videre est. Ita enim PROSPER AQUITANICUS (ζ): Quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis crucifigi: nec secundum carnem, quae veterascit ac moritur, sed secundum Deum vivere, qui solus potest perseverantes in se innovare perenniter & beare? Nam quando in Christo jam esse coepimus, qui pro nobis omnibus dignatus est mori; & nos, peccatis nostris illi commortui, cum illo spiritaliter resurgimus, si perseveranter ejus vestigia teneamus. Hanc autem resurrectionem in praesente adhuc vita a nobis attingi posse, ex iis, quae supra & ab initio adduximus, Pauli testimoniis clarum evadit, qui de re ista, ut ad hanc vitam inchoative spectante, locutus est (η). Cui succinit S. MAXIMUS Confessor (θ): Qui peccato voluntatem interemit, complantatus factus est similitudini mortis Christi: qui vero iustitia excitat illam, fit etiam complantatus similitudini resurrectionis ejus. Nec abludunt CHRYSOSTOMUS & ex eo THEOPHYLACTUS (ι): Christus carne mortuus est, & resurrexit, nos autem peccato morientes resurgimus virtuti: ut sicuti Christus

carne

(γ) Rom. VI. 5. (δ) Ibid. v. 4. (ε) Lib. de contemptu mundi. c. XXV. To. XI. Bibl. Patrum Lugdun. f. 1033. (ζ) Lib. II. de vita contemplat. c. XX. edit. Colon. in 8vo. p. 242. (η) Conf. Phil. III. 10. 11. 2. Cor. IV. 16. (θ) Cent. IV. de virt. & vicio. c. XXIII. Tom. XII. Bibl. Patr. f. 464. (ι) Commentar. in Epistol. ad Roman. edit. Lovdin. f. 37.

carne resurrexit a mortuis; sic & nos alia resurrectione resurgamus, nova scilicet vivendi ratione. His tandem suffragatur MARCUS Eremita (κ): Qui resurrexit a mortuis, nempe ab omnibus Deo inferioribus rerum sensibilibus & intelligibilibus sermonibus & conceptibus, is demum vivit beatam in Deo vitam. Hoc modo vitæ novæ virtus omnis coram Deo est spectanda & recipienda, cœn vita ex Deo in Christo Jesu, & mediante quidem arctissima cum ipso unione, in qua se divina & occulta in Deo vita animæ nostræ communicat, non sine summa voluptate in cœlesti amore. Deus est charitas (λ)! Igitur, admodum jucunde scribit S. ISAACUS (μ): Deo fructificat, qui in caritate vivit, & in hoc mundo existens illum aerem resurrectionis odoratur: ita isto namque delectantur justi in resurrectione. Cumque pervenimus ad charitatem (fide), pervenimus ad Deum, qui nos dignos facit gloria sua charitateque per (fiducialem) timorem. De fructu vero resurrectionis & qua ratione ad illum pertingamus, egregie iterum loquitur S. MAXIMUS (ν): Primus & unicus divine revera participationis, nempe scientiæ veræ filius est sermo divina, quæ in nobis est, resurrectionis per fidem, cum decenti dispensatione, intellectus videlicet discretionem strenue superans insultus tam spontaneorum quam violentarum tentationum. Etenim prima in nobis resurrectio Dei per ignorantiam a nobis enecati, est fides per opera mandatorum recte gubernata. Hæc omnia, quanta nos cum ἐνεργείᾳ moveant ad novam induendam mentem, ac vitæ spiritualis studium, unusquisque in seipso animadvertet, si Spiritum Christi audiat, ejusque ductum sequatur. Veteres sane istud, quod Dominus JESUS vere fidelis hominis vita sit, omni jure tanquam essentielle fundamentum veri Christianismi agnoverunt, sine quo omnis ex propriis viribus enata pietas sit mera hypocrisis & fucus. Et ipsi quidem hic simul respiciebant ad intimam ejus cum Christo unionem per oblationem sui ipsius, & resignationem omnium bonorum in sanctissimam Dei voluntatem, quæ vitalis est veræ fidei operatio sive ἐνέργεια, ex ἐντελέχειᾳ ejus, hoc est ex fiduciali meriti Christi apprehensione necessario fluens. Per hos actus in agone serio angusta reperitur porta mortis Christi, ac insimul æterna libertas in vita nova sive spirituali. Audiamus hic etiam S. MARCUM Eremitam (ξ): Vim universam Spiritus Sancti capere non potest nostra capacitas, nisi per mortem (id est mortificationem carnis) quæ est mandatum perfectum. Siquidem & mors (hæc) pro veritate Christi, mandatum Dei. Quo igitur modo sol perfectus, plenum, simplex, & æquale cunctis suum ipsius beneficium confert:

quis-

(κ) de Temperantia cap. V. Tom. V. Biblioth. Max. f. 1113. (λ) 1. Joh. 1V, 16. (μ) Lib. de Content. mundi. c. XLIIIX. Tom. XI. Bibl. M. f. 1040. & 1041. (ν) de Virtute ac vitio Cent. II. cap. LXX. Tom. XII. Bibl. Max. f. 451. (ξ) de Baptismo in med. Tom. V. Bibl. Max. f. 1105.

quisque vero, quatenus purgatum habet oculum, hactenus lucem recipit: ita Spiritus S. a Baptismo suscepto credentes ei, omnium actionum & donorum capaces reddidit: non tamen omnibus concessit, ut aequaliter dona exercerent, sed cuique pro modo executionis mandatorum, quatenus testificatus est operibus bonis, & perspicuam edidit suae in Christum fidei mensuram. Jam nemo sibi ipsi peccatum Ade potest amputare, sed solus Christus, juxta proportionem fidei in illum. His omnibus ostenditur, non posse nos intimius cum DEO uniri, quam si, abnegata impietate & secularibus desideriis, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc seculo (*), cum illud unionem impediat, hoc autem promoveat. Siquidem, ut idem MARCUS (x) scribit: is tantum, qui divino desiderio ductus anima vicit affectum erga corpus, incircumscriptus (& liber) evasit, tametsi degat in corpore. Deus enim, qui trahit desiderantis appetitum, sine ulla comparatione celsior est omnibus, nec finit optantem rei cupiam, quae post Deum sit, affigere desiderium. Quocirca desideremus Deum totis viribus appetitionis nostrae, demusque operam, ut voluntas nullis rebus corporeis teneri possit: & affectu supra cuncta feramur, quae sensu vere percipiuntur & intellectu, ac nihil prorsus damni animo patiemur ab hac vita naturali, quominus cum Deo versemur, natura minime circumscripto. Sic ergo cuncta, quae ad vitam spiritualem promovendam faciunt, tandem resolvuntur in communicationem mortis Christi, ne scilicet subterfugiamus etiam subtilissimis affectibus, & carnis concupiscentiis, avaritiae, superbiae, voluptati, irae, vindictaeque cupiditati, & id genus vitiiis aliis omni studio renunciare. Nempe non nobis, sed illi, qui pro nobis mortuus est & resurrexit, Christo vivere debemus (e). Hoc autem fieri nullo modo potest, nisi prius nobis mundo que moriamur. Itaque scribit B. JO. ARNDIUS (e), si in Christo vivere constituisti, mundanis concupiscentiis moriaris necesse est; si tibi & mundo vivere animum induxisti, nihil tibi poterit commercii esse cum Christo. Nec tantum carnis concupiscentiis mori debet Homo victurus Christo, sed rebus omnibus aliis sibi charissimis. Voluntas ejus mori debet omni in se beneplacito. Sibi quippe displiceat homo, ut DEO placeat: Intellectus omni, quam habet, veritatis cognitioni, cum charitas Christi sit υπερβαλλουσα παντος της γνωσεως (r): Memoria tandem, & omnes facultates interiores reliquae iis, circa quas occupatae sunt, rebus omnibus. Unde CHRISTUS (v): Quisquis voluerit vitam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit vitam suam propter me, inveniet eam. Esi vero carni & sanguini asperima crux sit, sibi & mundo mori, id est, vitae spirituali omnia mundana

(*) Tit. II, 12. (x) Lib. de Temperantia c. XXVI. l. c. f. 1114. (e) 2. Cor. V, 15. (e) Lib. I. de vero Christiani, c. XII. §. 1. f. 90. (r) Eph. III, 19. (v) Matth. X, 39. XVI, 24.

dana posthabere, vincit tamen ac perrumpit has difficultates Spiritus Christi, tantaque vis est amoris Filii Dei, ut hæc omnia revera *jugum suave* & *onus leve* evadant (φ). Ex hæcenus dictis quivis a Deo illuminatus satis intelliget, quid sibi velit ista confessio APOSTOLI (x): *Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus*. Et quod alibi scribit (ψ): *Mortui estis* (scribebat autem viventibus) & *vita vestra abscondita est in Christo*. Nempe Christus servator est vita suorum fidelium, non naturali modo tantum, ut verbum æternum, per quod omnes creatura vivunt, & sine quo vivit nihil, quod vivit (ω), sed præprimis supernaturali, arcana, & singulari ratione. De illa mere naturali vita sic loquitur MARIUS VICTORINUS AFER (α): *Filius Dei vita factus est* (in creatione) *non quod non* (antea) *fuerit vita, sed quoniam foris vita, magis vita: in motu enim vita*. Hic est λόγος, qui vocatur Iesus Christus, per quem effecta sunt omnia. Semen is omnium ad id ut sint, quippe vita, sine qua impossibile est, esse aliquid in iis, quæ sunt. Ita natus est Filius, λόγος qui sit, hoc est vita, virtute patria generante. Nos tantum hic solliciti sumus de spirituali ac supernaturali vivificationis modo, secundum quem Christus nostra per fidem vita evadit, ac de quo CYRILLUS ALEXANDRINUS (β) his verbis animi sui sensa exponit: *Christus est vita, quia nobis vitam spiritualement sine interitu, in sanctificatione & salvatione restituit*. Cui succinit ANASTASIUS SIONITA (γ): *Sicut, inquit, si ex homine recedat caloris operatio, statim etiam vita ab eo separatur, & ad mortem transmittitur: ita etiam ipsa Christi virtus omnia vivificat, & qui ab ea separatur, non habet vitam æternam, sed est mortuus peccato*. Idem adhuc plenius (δ): *Paulus non tantum crucifixus est mundo, sibi que ipse mundum crucifixus; sed & vitam suam in aliam mutavit, ut qui jam ipse non viveret, aut velut a se moveretur vel operaretur, sed vitam, ipsam Christum, haberet in se operantem*. Quippe se ex toto dimiserat, suamque ipse voluntatem mortificans, totum se voluntati divine subtraxerat, atque adeo ejus vita Christus erat. Sic post ipsum ire ac eum sequi oportet eos, qui ejus esse volunt. Qui igitur vult venire post Dominum, humanum omnem sensum odisse debet, prioremque, quam vixit, commutare vitam, & sic seipsum quodammodo relinquere. Et sic omnes tandem animæ vires transmutabuntur. Hæc omnia tendunt ad magnum illud Mysterium, CHRISTUS IN NOBIS, de quo Veterum expresiones

b

valde

(φ) Matth. XI, 30. (x) Gal. II, 20. (ψ) Col. III, 3. (ω) Joh. I, 3. (α) Lib. I. adv. Ari-
um circa fin. Tom. IV. Bibl. Patr. Paris. f. 330. a. conf. Gregor. Nazianz. Orat.
XXXVI. p. 591. (β) Catena in Johannem cap. XIV. p. 355. (γ) Lib. IV. in Hexaem.
Tom. IX. Bibl. Patrum Lugdun. f. 872. b. (δ) Serm. in Transfigurationem Christi
ibid. f. 941. b.

valde notabiles occurrunt, ut, cum ISYCHIUS vel HESYCHIUS PRESBYTER scribit (*): *Sicut Sol absque lumine splendere non potest: ita cor purgari nequit sordibus perimentium cogitationum, sine Christi (in nobis viventis) invocatione (interiore), qua utimur veluti propria spiratione.* Similiter CLAUDIUS TAURINENSIS (‡): *Christus vivit in Paulo h. e. vivit in eo sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, ceteraque virtutes, quas qui non habet, non potest dicere: Vivit in me Christus.* Sic autem vivit in credente, habitando in interiore homine per fidem, ut postea per speciem impleat eum, cum absorptum fuerit mortale a vita, quoniam futura vita promissa est Christianis. Ideoque hic homo in fide vivens vitam promissam, in imaginem illius contemplatur, quasi pignus habens vitam futuram. Nec aliter sensit vetus ille Poeta Christianus, AURELIUS PRUDENTIUS (¶), quando Christum celebravit ut fontem vitae liquida fluentem ab arce, ut infusorem fidei, ut satorem pudoris, ut mortis perdomitorem, ut salutis auctorem. Et alius venerabilis Pater & Scriptor Ecclesiae antiquissimus ac dignissimus, S. EPHREM SYRUS (Ⓢ) suos ad hanc quoque vitam remittebat: *Mors, inquit, vobis non dominatur. Translati enim estis de (hac) morte (peccati) ad (spiritualem) vitam. Iesus sit vita vestra, cui adhaerentes non moriemini. Nam Dominus est vita ac mortis: & cunctos accedentes ad ipsum salvos facit, peccata solvit, delet scelera eorum, qui invocant ipsum, poenitentiam agentes curat, (se) convertentes sanctificat.* Hac & simili ratione veteres Christiani sibi & aliis virtutem vitae IESU, & quomodo haec ipsa in vivis ejus membris, in quibus semel scintilla fidei novaeque vitae accensa fuisset, & incrementa nonnulla capere coepisset, indefinenter sese exerat, ad animum revocare solebant. Admodum suaviter hujus vitae characterem depingit BERNHARDUS Abbas Claravallensis (†): *Alieni ab actibus seculi, & quorum vita abscondita est cum Christo in Deo, non vivunt in se, sed vivit Christus in illis. Ad alia quidem omnia mortui sunt, non sentiunt, non attendunt, non curant: si qua vero sunt Christi, haec vivos inveniunt ipsos & paratos. Nam si non aliud possunt, saltem sentiunt, placet, quod ad ejus honorem fieri vident; displicent, quae aliter fiunt.* Rursus NICOLAUS CABASILAS Thessalonicensis Archiepiscopus, qui περὶ τῆς ἐν Χριστῷ βίης integros sex Libros scripsit, elegantes observationes suggerit de intima illa & penetrantissima Christi vita in suis Fidelibus. Ita enim ille non procul ab initio (×): *Salvator in ipso viventibus sic semper & omnimodis adest, ut quibuscunque eorum*

neces-

(*) De Temperantia & Virtute Cent. II. cap. LXIIX. Tom. XII. Bibl. f. 204. (‡) In Epistol. ad Galat. c. II. Tom. XIV. Bibl. f. 149. a. b. (¶) Hymn. IV. Cathemerin. edit. Basil. f. 50. (Ⓢ) Paræn. II. edit. Colon. f. 342. (†) Serm. VII. in Quadrages. edit. Paris. f. 118. (×) Lib. I. de vita in Christo, Tom. XXVI. Bibl. Lugdun. f. 137. b.

necessitatibus consulat, & ipsis sit omnia, nec alio prorsus se vertere, nec aliunde querere quicquam sinat. Non enim egent aliquo sancti, quod ipse non sit. Generat nimirum ipsos & educat, & alit, & cum sit altor, simul est alimentum. Et ipse est, qui panem vitæ dat; ipseque vitæ est viventibus. Sic undecunque mentem nostram ad seipsum advertit, nec ad aliud effundi patitur, nec ullius rei amore implicari. Posthæc ita concludit: Vitam igitur in Christo, non in venturo tantum seculo assuturam, sed in præsentem etiam adesse sanctis, & secundum illam eos vivere atque operari, ex his, quæ dicta sunt, perspicuum sit. Essentium vero hujus vitæ Christus ipsemet præsens modo quodam, cui explanando verba non reperiuntur, animis nostris serit. Vere enim adest, & principiis vivendi opem fert, quæ ipsemet adventu suo attulit. Adest autem non ut primum victu, congressu, consuetudine nobiscum communicans, sed alia quadam ratione meliore perfectioreque, secundum quam concorpores, & ejusdem vitæ participes, & membra illi evadimus. Ut proinde conjunctio illa, qua amicis suis devincitur, omnem, quæ animo informari aut nominari potest, conjunctionem post se relinquit; sic item modus, quo adest & benefacit, admiratione dignus, & facienti mirabilia soli conveniens est. Nemo has vitæ spiritualis descriptiones satis intelliget, qui non ipse in vera poenitentia & fide ad Deum appropinquavit, & in fame ac siti sua spirituali Christi particeps factus est. Nam ad ipsum prius nos venire oportet, si vitam hanc consequi velimus, juxta illud Christi (λ): Vos non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Ad Christum autem venimus per ardentissimum Christi desiderium, & fiducialem Ejus apprehensionem. Quorsum etiam tendit tota doctrina de spirituali manducatione ac bibitione carnis & sanguinis Christi, ut nostræ in mortem prolapsæ animæ ad novam iterum ac cœlestem vitam pertingere possint. Egregie prorsus in hanc rem scribit B. MARTINUS CHEMNITIUS (μ): Caro Christi pro mundi vitæ tradita, & sanguis in peccatorum remissionem effusus, si per fidem apprehenduntur, homini quasi uniuntur, ut Christus non tantum per fidem in ejusmodi homine habitet, sed virtute Spiritus sui totum ipsam immutet & quasi transformet, ut Christum in omnibus suis actionibus referat, & Spiritus Christi in se habitantis evidentissima indicia præbeat. Cum vero CHRISTUS, Vita nostra, semper stet ad ostium cordis nostri & pulset (ν); aurem adhuc præbeamus S. MACARIO Ægyptio, fideliter nos exhortanti, ut omnibus momentis ad nos venientem Servatorem & pulsantem, intra cor nostrum recipiamus. Ita enim ille loquitur (ξ): Suscipiamus ergo ipsum Deum ac Dominum, verum medicum, qui solus veniens potest sanare animas nostras, postquam ingentes nostri causa susti-

b 2

nuit

(λ) Joh. V, 40. (μ) Harm. Evang. cap. LXXII, p. 866. (ν) Apoc. III, 20. (ξ) Homil. XXX, §. IX. Edit. Lipf. f. 410.

nuit labores. Pulsat enim perpetuo fores cordium nostrorum, ut aperiamus ei, quo ingressus requiescat in animis nostris. Propterea enim multa perpeffus sustinuit, tradens suipfius corpus morti, nos redimens a servitute, ut (redivivus) veniret ad animam nostram, & mansionem faceret in ea. Quapropter ad illos, qui, a sinistris stantes in iudicio, ab eo mittentur in gehennam cum diabolo, ait Dominus: Hospes eram, & non collegistis (συναγάγντε) me. Esurivi & non dedistis mihi cibum. Sitivi, & non dedistis mihi potum. Cibus enim & potus, indumentum, domicilium, & requies ejus est in animis nostris. Semper ergo pulsat, volens ad nos ingredi. Quocirca suscipiamus eum & introducamus intra nos. Siquidem noster cibus, VITA, potus, & vita aeterna ipse est. Itaque, omnis anima, quæ non susceperit nunc eum intus, ac requieverit, imo in ipso recreata fuerit, in regno cælorum cum Sanctis hereditatem non cernit, neque in cælestem civitatem ingredi potest. Ipse vero Domine JESU, introduce nos in illam, glorificantes nomen tuum cum Patre, & S. Spiritu, in secula! Amen.

Quod reliquum, id faciendum nobis, quod hoc Programmate Paschali fieri debet. Indicanda enim est Oratio, quam Feria I. Festivitatis præsentis, in solenni panegyri, de Admirandis victoriæ nostræ, per JESU CHRISTI resurrectionem acquisitæ, e suggestu Paulino, medios inter concentus Musicos, habebit Eximius atque Doctissimus Juvenis DN. M. HENRICUS AUGUSTINUS Groschuff/ Zvenicensis Misnicus, literis humanioribus egregie tinctus, Studioque Theologiæ addictissimus. Cui audiendo, ut PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICÆ e Sacello Nicolaitano ad Templum Academicum nos, more consueti, comitari ne graventur, ea qua par est observantia & humanitate rogamus. STUDIOsos vero JUVENES ad frequentem præsentiam & attentionem devotam exhortamur. P.P. ipsis Vigiliis Pascha-

libus, die xxx Martii, Anno Salutis

cIo MCCIX.

LIPSIAE,

LITERIS VIDUÆ CHRISTOPHORI FLEISCHERL.

61 C 2

10-18

